



70

a. pl. 28

ORDINIS IVRIDICI  
DECANVS

GEORGIVS LVDOVICVS  
BOEHMER

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM

IOANNIS DANIELIS HENRICI MVSAEI

MEINVNGENSIS

IOANNIS GEORGII BAVSCHII

HAMBVRGENSIS

IOANNIS HENRICI IOSEPHI WESTHVSII

MONASTERIO WESTPHALI

SOLENNIA INAUGVRALIA

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE

DE

IVRE DOTIS, FILIAE ILLVSTRI

EX PACTIS DOMVS DEBITAE,

MOTO ADVERSVS PATREM CONCVRSV.

GOTTINGAE

APVD IO. CHRIST. DIETERICH clō lō cc LXXIII.

ORDINIS IURIDICI

DECANVS

GEORGIVS LVDOLVICVS

BOEHMER

VIRORVM PRAEINOBILISSIMORVM

IOANNIS DANIELIS HENRICI PAVSAE

IOANNIS GEORGI BAVSCHII

HAMBVRGENSIS

IOANNIS HENRICI IOSEPHI WESTHVSII

MONASTRII WESTPHALII

SOLENNIA INAUGVRALIA

LYCEI

PRAEMISSA OBSERVATIONE

DE

IURE DOTIS, FILIAE HILVSTRIS

EX PACTIS DOMVS DEBITAE,

MOTO ADVERSVS PATREM CONCVRSV.

GOTTINGAE

APVD IO. CHRIS. DIETRICH. MDCC LXXXII.



## I.

**D**os *Filiae illustris* solet inter Status Imperii constitui duplici modo, prout eius praestatio vel pertinet ad onera *Provinciae* vel ad onera *Familiae illustris*. Prius contingit, si id fert *formula provinciae*, vel id comprobatur specialis *provinciae observantia*, dotem filiae illustris a subditis statibusque provincialibus praestandam esse ex collectis provincialibus (a). Huiusmodi dotatio, cum sit debitum provinciae, in periculum vocari non potest in naufragio, in quod forte incidunt bona et fortunae principis et domini territorii conturbatoris: eamque ideo vel leuiter tetigisse sufficit, cum sine negotio intelligatur, quam longe distet eiusmodi praestatio dotis ab ea, quae petenda est ex bonis eius, qui conturbat, et quam alienae sunt rationes, si quae ab illa ad hanc ducuntur.

## II.

a) Exempla exhibet Cel. IO. IAC. MOSER in *Teutschen Staats-Recht tom. XIX. lib. 3. c. 106. sect. I. et II.* Vir. Ampl. ANTONIVS LVDOVICVS

SEIP de *libertate statuum provincialium circa dotationem filiarum illustrium* sect. V. et VI.



## II.

In altero casu dos filiae illustri debetur ex *pactis gentilitiis* vel ex *obseruantia familiae*. Quam si conturbatis familiae bonis, motoque concursu Creditorum in discrimen vocari contingat; quaestio est non vulgaris, quae in duobus momentis vertitur, vtrum *exigi* possit moto aduersus patrem concursu creditorum, et *quo loco* filiae illustri satisfaciendum sit inter ceteros creditores?

## III.

Est vero dotis, quae in familiis illustrium debetur filiae, ea ratio, quod vel *pactis gentilitiis* vel speciali, quae cum illis parem vim habet, familiae obseruantia constituatur, praestandaque sit ex bonis auitis et gentilitiis, vel in subsidium ex feudorum imperii reeditibus. Pertinuit ad decus familiarum illustrium, dotationis idoneae rationem haberi, cum vigente stemmate masculino filiae successionis in allodio participes haud essent, vel saltem si quae suppeteret in bona paterna, materna, aliorumque agnatorum successio, eidem contractis nuptiis in commodum stemmatis masculini renunciarent. Effectum itaque est *pactis familiarum*, filiae nubenti exsoluendam ex bonis familiae esse dotem secundum quantitatem, *pactis* ipsis definitam.

## IV.

Debitum dotis, ita comparatum, si spectes *causam debendi*, hanc habet ex *pactis gentilitiis*, legitimam omnino, moribus Germaniae et vsu perpetuo comprobata, et ad ius constituendum adeo accommodata, vt in illorum vi ne quidem de confirmatione Caesarea quaeratur. Longe diuersa est eius causa a dote ex

*iure*



*iure communi* praestanda, quae ab officio paterno, et a promissione et liberalitate patris originem ducit. In dote, quam non immerito *gentilitiam* dixeris, officii vel promissionis paternae ratio vel ideo non habetur, quod eius fundamentum non ex ea, sed ex pactis familiae repetatur, ex quibus dos constituta est filiae illustri in eventum nuptiarum contractarum, hisque contractis, non modo pater, si est in viuis, sed et alius successor ex familia *ex norma pactorum* eam praestare obligatur.

## V.

Est itaque debitum dotis radicum in pactis familiae, cuius *dies* cedit et venit, ex quo filia illustris connubium init, quo veniente pater *debitor dotis* efficitur. Itaque concursu creditorum aduersus patrem illustrem moto, reuditibusque territorii in commune creditorum commodum auctoritate Imperiali sub administrationem reuocatis, filia illustris cum dotem ex iisdem sibi praestari petit, exigit id, quod ex pactis familiae a patre sibi iure perfecto debetur, cuius intuitu filia perinde patris *creditrice* est, ac quisque alius, qui inter creditores nomen suum profitetur. Eodem iure fruitur ius filiae illustris, etiamsi diem nuptiarum contractarum, conturbatis iam bonorum paternorum rationibus, cedere et venire contingat, cum in debitis conditionatis obligatio non ex *conditionis* sed ex *conventionis* tempore nascatur, et huius dotis causa non ex promissione patris obaerati sed ex pactis gentilitiis aestimetur.

## §. VI.

Non eadem secundum ius Romanum est ratio dotis profectitiae, quam pater ex bonis suis dare stipulatus est. Quae quamquam

quam



quam loco aeris *alieni* sit, et promissa exigiqueat (b): eius tamen exactio non leui difficultate premitur, si bona patris a creditoribus possideri contingit. Quodsi dos a patre, adhuc locuplete, bona fide constituta est ante motum concursum; rectius sentire videntur, qui promissam dotem in concursu Soceri peti a genero posse existimant, non vero hoc mortuo ab ipsa filia, cui velut ex donatione deberi censetur (c). Concursu iam imminente bonisque patris non sufficientibus, in fraudem creditorum promissa praesumitur (d); eoque iam moto, et iure de bonis disponendi adempto, ne valide quidem promitti potest.

Sed applicari haec non possunt ad dotem, filiae illustri ex pactis familiae debitam, non quasi de usu iuris Romani in hac causa, quae utique tamquam causa priuata aestimanda est iure priuatorum, dubitari queat, sed ob diuersam eius indolem, ab illa dote profectitia tantopere alienam, quantum ab illa distat dos ex bonis filiae propriis a patre promissa. Quis vero hanc ex iure dotis profectitiae aestimauerit? Dos, quae ex norma pactorum familiae promittitur filiae illustri, non patris voluntate constituitur, sed pactis et prouidentia maiorum constituta a patre debetur, nec liberalitatis et donationis paternae sed debiti gentilitii rationem habet: quinimo etiam non promissa debetur ex pactis maiorum, et  
ex

(b) L. ult. D. de Dotis collat. L. 7. C. de dotis promiss.

(c) L. 25. D. Quae in fraud. credit. Tractat. hanc causam GOTH. BARTH in diss. de beneficio filiae abstinendi ab hereditate paterna ad effectum exigendi dotem promissam Part. II. c. I. §. 32. 33. inter eius dissertat.

a B. GEBAUERO collectas p. 166.

(d) L. 1. §. 14. D. eod. L. 2. C. de reuoc. his quae in fraud. Credit.

(e) Vir celeb. IO. HENR. ESTOR de dote filiae illustri ex pacto domus extra patris concursum prae creditoribus paternis statim numeranda. §. 20.





ex his causam habet adeo fundatam, vt in eam cadere nequeat  
promissionis in fraudem creditorum factae ratio.

### §. VII.

Supereft disquirere, quo loco dos filiae illustris inter reliquos  
patris creditores fit exfoluenda. Redeunt in ea visione omnia  
ad naturam iuris, quo fruitur filia illustris in dote exigenda.  
Tamquam ius ex pactis familiae descendens, sua natura est *pacti-  
tium*, idemque tamen ex iuris communis rationibus firmatum  
*tacita hypotheca*. Quam Iustinianus in bonis eius, qui *dotem pro-  
misit*, pro huius securitate tribuit (f), *hypotheca* merito vindica-  
tur filiae illustri in bonis redivisibusque bonorum eorundem, ex  
quibus maiores dotem praestari voluerunt. Hypothecae initium  
vero non quidem ex die, quo inita sunt pacta familiae, sed ex  
die, quo ex illis nata est ad dotem praestandam obligatio, hoc  
est, ex tempore *initi connubii* ducendum esse, rationibus iuris con-  
venit (g). In bonis paternis itaque, ex quibus ex praescripto  
pactorum domus dos praestanda est, ex hoc tempore competit  
*tacita hypotheca*: *privilegium* vero non competit, cum id nullibi  
in iure proditum sit pro dote promissa exigenda.

### §. VIII.

In Actis ad Ordinem nostrum transmissis agitata est quae-  
stio, vtrum dos filiae illustris, ex praescripto pactorum familiae  
praestanda, extra concursum, aduersus patrem motum, ante

omnes

(f) L. vn. §. i. C. de rei vxor. act.  
(g) h. i. D. qui potior in pign.  
L. 48. D. de iure dot. MERLINVS de  
pignorib. lib. 3. q. 47. n. 46. LAVTER-

BACH in Coll. th. Pr. lib. 20. tit. 2. §.  
16. CHRIST. PHIL. RICHTER de lega-  
li dotium hypotheca §. 10. GOTTFR.  
BARTH. l. c.



omnes creditores peti possit iure quodam separationis? Quod ita censuerunt ICTI Marpurgenses, eamque sententiam tuitus est Dn. ESTOR in diff. de *dote filiae illustri nuptae ex domus pacto extra patris concursum prae creditoribus paternis statim numeranda*. Ordo noster promissam dotem ex Patris Concursu petendam esse, nec alio iure praecipuo prae creditoribus paternis frui respondit, quam quod ei ex tempore connubii initi tribui potest ex *tacita hypotheca*.

### §. IX.

De iure *quasi separationis* agitur, quod creditori, *vi iuris specialis* solutionem ex certo genere bonorum exigendi, dari hoc fine solet, vt ex his bonis ipsi prae ceteris creditoribus satisfiat (*h*). Cum is, qui fructus vnus alteriusque anni a debitore emit vel in solutum assignatos accepit, iudice VLPIANO (*i*) concursui creditorum se immiscere non teneatur: ex eo sequi putat Dn. Estor, dotem feminae illustris praefendam esse creditoribus omnibus: reditus videlicet bonorum auctorum ex pactis domus assignatos videri doti, et hanc ex pactorum familiae praescripto ex consuetudine feudi esse *bonorum auctorum onus*: praeterea dotis praestationem habere *fideicommissi* rationem, *des Aussteuer fideicommissi*, eo quod bona posteris ea lege commendata sint, vt ex illis filiae illustri dos praestitur. Addit Dn. Estor, sibi dubium non videri, quin princeps filia fruatur hypotheca tacita *extra concursum*.

### X.

Enim vero quae Vlpianus de fructibus bonorum debitoris, ante motum concursum *venditis* vel *in solutum assignatis*, tradit, ab hoc

(*h*) LAVTERBACH in diff. de *separatione* c. 4. §. 2.

(*i*) L. 8. §. 1. D. de *bonis auctorum iud. possid.*



hoc loco prorsus aliena sunt, quo non de certis redditibus *in solutionem dotis promissae datis vel assignatis* agitur, sed de dote vi pactorum ex redditibus praestanda. Venditos bonorum fructus ad bona debitoris ideo pertinere negat VLPIANVS, quod per alienationem in patrimonio eius esse desierunt (m). Reditus vero bonorum gentilitiorum sunt *debitoris obaerati*, et vel maxime constituunt *corpus bonorum*, ex quo perinde *creditoribus ipsius* satisfaciendum est, ac *debitum dotis* ex illis praestandum. In bonis vero vnus eiusdemque debitoris, ex quibus pluribus satisfaciendum est, nullum intelligitur ius separationis. Si *oneris* nomine, quo et debita feudalia solent onera feudi appellari, intelligitur *obligatio* cuilibet bonorum auctorum possessori imposita: verum omnino est, patrem, ad quem haec deuoluta sunt, vel hoc nomine ex pactis et ex prouidentia maiorum ad dotis praestationem obstringi. Pertinet haec obligatio ad dotem filiae illustri constituendam, eamque ex praescripto pactorum domus ex redditibus bonorum paternorum exsoluendam. Sola vero obligatio, cuilibet bonorum possessori ex pactis familiae imposita, cum tam naturali quam ciuili ratione vim tantum habeat *inter paciscentes*, ne ad ius quidem *reale* tribuendum idonea est, multoque minus ad efficiendum *ius praecipuum*, quod *extra concursum* vim suam exferat, aduersus omnes eosque anteriores paternos creditores, quibus non minus ex iisdem bonorum redditibus, sub administratione publica constitutis, est satisfaciendum.

XI.

(m) LEYSER *spe.* 479. med. 9.



## XI.

Tandem in dote, ex pacto familia praestanda, nec umbra fideicommissi conspicitur. Ad analogiam fideicommissi ea tantum pactorum capita reuocantur, quibus determinatur successio per iunctam bonorum restitutionem in familia. Partes pactorum, quae successionem in bona non concernunt, a fideicommissi ratione alienae sunt. Si quae in illis paciscentes in familiae commodum fieri praecipiunt, ad id praestandum tantum ex pacto descendit obligatio, quae fines pactitiae personalisque obligationis non egreditur. Recte iam monuit *Ge. Melchior a Ludolf* (n) fideicommissum fingendum vel praesumendum non esse ex qualibet conuentione: nec pacta familiae, in quibus dos constituitur, naturam habere fideicommissi, neque tale pactum vim exserere aduersus Creditores. Si quae promissioni dotis, in pactis familiae factae, ex iure communi tribuenda est vis, haec secundum ea, quae antea exposita sunt, repetenda est ab hypotheca tacita. Quae cum competat in redditibus bonorum auctorum ad concursum creditorum vocatis, separationis ius non tribuit, sed tantum ius praecipuum prae creditoribus paternis, qui iure potiori non gaudent: ideoque a iuris rationibus alienum est, filiae illustri, pro dote in pactis familiae promissa, in redditibus bonorum gentilitiorum tribuere hypothecam tacitam extra concursum.

## XII.

Non praetermitto, quod forte a beneficio competentiae repeti posset dubium, quod pro tuendo status Imperii honore, debitori obae-

(n) *Obs. for. Part. I. obs. 106. n. 13. p. 286.*



obaerato aequè ac eius liberis et *filiae illustri innuptae* constitui solet ex redditibus bonorum paternorum, sub administratione publica constitutorum: solet vero *dos* pari iure iam *alimentis* censerì. Sed ita vtriusque causa comparatur inter *parentes* et *liberos* inter se inuicem. Quando vero de dote promissa ex bonis paternis aduersos *creditores* exigenda agitur: *dos crediti* rationem habet. Ex rationibus beneficii competentiae vero aestimari nequit, quod debetur tantum liberis in *familia debitoris illustris* constitutis, non *filiae nuptae*, quae contracto connubio transiit in mariti familiam.

Progredior ad id, quod officii ratio exigit, cum indicandi sint honores praestantissimorum iuris vtriusque Candidatorum: quos inter primus est

VIR PRAENOBILISSIMVS ET

CONSULTISSIMVS

IOANNES DANIEL HENRICVS MVSAEVS

MEINVNGENSIS

qui de omni vitae studiorumque ratione in hunc modum nos edocuit.

Natus sum Meiningae d. XXXI. Augusti clō Io cc xlix. patre optimo *Ioanne Georgio Musaeo* Phil. Doctore, tunc temporis illustris quod ibi floret Lycei Inspectore, iam dioecesium Sonnenbergensis et Neuhufane superintendente: matre *Barbara Elisabetha* nata *Schubarth B. Ioannis Bernhardi Schubarth* parochi bibracensis filia, qua mature mortua, ab anno aetatis quarto, cura nouercae optimae, *Mariae Fridericae Ioannae*, natae *Rudorf, B. Christophori Henrici Rudorffii* Philosophiae Doctoris et parochiae Bens- et Ebertshufana pastoris filia, in me

B 2

edu-



educando frui contigit. Prima sanctissimae religionis nostrae fundamenta, et linguae latinae principia, ipse pater indulgentissimus me docuit, eoque facto praeceptoribus scholae Meiningensis adduxit, quibus ad decimum vitae annum usus sum. Patre a Lyceo ad ecclesiam vocato, cum eo urbem scholamque reliqui, per triennium et quod excurrit praeceptorem domesticum habui, *Ioannem Godofr. Schmidt*, iam ecclesiae Wafungensis Diaconum. Ad annum ita decimum quartum peruentus, e consilio patris ad illustre Gymnasium Casimirianum Coburgense profectus sum, ibique ex inspectione domestica Viri summe reuerendi *Erhardi Andreae Fromanni* SStae Theologiae Doctoris illustrisque Gymnasii Directoris, postea consistorii ducalis Consiliario, iam vero Conuentus Bergensis Abbatis, nec non ex informatione praeceptorum doctissimorum *B. Grameri, Grunei, B. Mittenzwey, Praetorii et Bartensteini*, maximam vtilitatem percepi.

Annum et quod excurrit ibi commoratus, Meiningam redii, ibique per duos annos et sex menses in illustri quod ibi floret Lyceo, in iis artibus quibus iuuenilis aetas ad humanitatem solet impertiri, a praeceptoribus dignissimis *Georgio Casparo Hopffio* Inspectore, et *Ioanne Adamo Emmerichio* Rectore instructus sum.

Positis ita fundamentis, A. O. R. cIoIo cclxvii. ad Ludouiciam perueni, et d. XXI. Maii d. a. ciuibus eius adscriptus sum. In qua per quinque semestria, moderante fautore optime de me merito, Viro Perill. *Christiano Hartmanno Samuele Gatzert* Landgrauio a consiliis regiminis intimis, studio iuris operam dedi. Praeceptores habui perillustres *B. Franciscum Iustum Kortholtum* academiae procancellarium in iure publico *Ioannem Christophorum Koch* iam Landgrauio a Consiliis intimis et academiae Cancellarium, in iure naturae, institutionibus pandectis, et iure criminali, nec non in lectionibus ad doctrinam de successione ab intestato specialiter institutis modo laudatum *Christ. Hartm. Sam. Gatzert* in historia iuris, praelectionibus ad *Struuii* iurisprudentiam R. G. forensi iure feudali, Germanico, historia imperii, et exercitationibus practicis, *B. Ludov. Godofr. Mogen*, in Institutionibus et historia statuum Europaearum. Apud experientissimum *Ahlefeld*,  
cur-



cursum anatomicum aliquoties, nec non euentus quosdam ex nobili experiendi arte ortos auscultando vidi. Logicam et Mathesin puram didici a celeberrimo *Boehm* Landgravio a consiliis metallicis. Ad ius naturae denique praelectiones *Ioann. Wilhelm. Mosebachii* Philos. Doct. audiui.

Finito itaque quoad maximam partem studiorum cursu, durantibus feriis autumnalibus MDCCCLXIX. Viro summe reuerendo D. *Paulo Iacobo Foertsch* fasces et sceptrum academica tenente, ad hanc *Georgiam Augustam* concessi, ibique fauore fautorum nunquam satis depraedicando subleuatus, scientiam iuris et artium liberalium, quantum in me fuit, ductu celeberrimorum praeceptorum adaugere studui. Interfui itaque praelectionibus Virorum Perillustrium *Georgii Henrici Ayzeri* ad *Struuii* iurisprudentiam R. G. forensis nec ad *Schmaussii* ius publicum, et collegio *Eius* relatorio, *Georgii Ludovici Boehmeri* ad ius canonicum et feudale, *Ioannis Stephani Pütteri* ad ius publicum, ius privatum principum processum supremorum imperii tribunalium, *Eiusdemque* collegio elaboratorio practico, *Christ. Frid. Georgii Meisteri* ad *Pandectas B. Achenwallii*, quam luctuosissima morte anno superiori academiae et orbi erudito ereptum, valde et ex animo lugeo, ad statisticam, *Generosiss. Christ. Henr. de Selchow* ad ius germanicum privatum, et ill. *Gattereri* artem diplomaticam docentis. Linguam etiam Anglicam ab ill. *Ioanne Andr. Dieze* didici, et gallicae exercitiis in conuersatorio *Isaaci Colom du Clos* interfui. Absolutis itaque, tantorum Virorum ductu, studiis academicis, ab *illustri Iurisconsultorum ordine* omni qua par est obseruantia petii, ut diem praefigerent examini, quo deinde, facto scrutinio, ipsis iudicandi libera esset facultas, an sim dignus, in quem conferant summos in arte legitima honores, nec ne. Precibus quoque relinquere locum haud sunt grauati Viri perillustres. Qua pro insigni beneuolentia, non minus quam pro reliquis in me collatis beneficiis, nunquam non, dum vita suppetet, ordini laudato mentem meam sum testificaturus deuinctissimam, id quod etiam praesenti monumento tamquam maximae, qua ipsum prosequor, venerationis tessera publice facio.



Dignum cupitis honoribus se praestitit *Vir Praenobilissimus* cum in interpretandis textibus ipsi propositis et in examine solenni talem se exhibuerit, qualem ex cognita eius diligentia studiisque sperare poteramus. Quod reliquum fuit, lectionem cursoriam ad L. 13. *D. de pignorat. act.* instituit, et prodromum dissertationis inauguralis de *iure Commissionum quae in Concurſu illustrium solent constitui* d. XVII Febr. sine Praeside defendit: quo facto eodem die summos in utroque iure honores ipsi ritu consueto contuli.

Alter est

VIR PRAENOBILISSIMVS

IOANNES GEORGIUS BAVSCH

HAMBURGENSIS

qui vitae studiorumque praeclare actorum rationem in hunc modum delineauit.

Natus sum *Hamburgi* d. XIV. mensis Aprilis an. c1o 1o cc XLIX. patre *Ioanne Georgio Bausch*, mercatore, matre *Angelica Emerentia*, e gente *Finkia*. Optimi parentes de educatione mea curam gesserunt plane egregiam. Quandoquidem vero anno c1o 1o cc LXVIII. praematura morte mihi ereptus est venerandus parens; quem et olim luxi, nec nunc lugere desii: Dilectissima mater, quam ut Deus O. M. diutissime sospitem seruet, precor, tutelare munus in se suscepit. In qua cura gerenda ei a consiliis esse non recusarunt Viri de Republica maxime meriti, Perillustriſis atque Magnificus *Ioannes Iacobus Faber* Reip. Syndicus, et Perill. Amplissimusque *Ioannes Albertus Dimpfel*, Senator. Quorum optimorum Fautorum egregia in me merita, clarissimaque in me beneuolentiae documenta grata mente, summaque pietate venerari nunquam desinam. Posito tirocinio, quod in capeſſendis literarum elementis

sub





sub praestantissimorum praeceptorum priuata institutione egi, an. cło Iō cclxvi. in numerum Gymnasii patrii ciuium receptus sum; ubi per triennium tam publica quam priuata institutione virorum doctrinae praestantia celeberrimorum b. *Reimari*, *Büschii*, *Wunderlichii*, *Noeltigii* et *Schützii*, frui mihi licuit.

Anno cło Iō cclxix. in Academiam Lipsiensem me contuli, quam tunc temporis regebat b. *Ludwigius*, qui me academicorum ciuium numero adscripsit. Interfui scholis S.R. *Ernesti* in Historia uniuersali; b. *Gellertum* doctrinam morum et principia elegantiorum literarum tradentem, Viros Excellentissimos, *Clodicum*, *Morum*, b. *Plattnerum*, et *Reizium* veterum scripta explicantes, et stili latini cultioris praecepta tradentes audiui, eorumque exercitationibus disputatoriis interfui. Illustrem *Boehmium*, in Historia Imperii R. G. exterorumque statuum, Excell. *Wenkium* in arte diplomatica praeceptores habui; in Iurisprudentia vero praestantissimi duces mihi fuerunt Illustris atque Excellentiss. *Segerus* in Iure Naturae et Iure Germanico priuato, exc. *Schott* in Historia Iuris, Institutionibus et Pandectis, Exc. *Franke* in Iure Publico et Iure feudali.

27 Peracto hac ratione, Lipsiae triennio, inclytae huic Academiae valedixi, meque in almam hanc Georgiam Augustam contuli, vbi Vir S. R. *Zachariae* me in numerum ciuium recepit. Quo facto contigit, quod ipse mihi semper gratulabor, Viros celeberrimos, splendidissimae huius musarum sedis praecipua ornamenta, praeceptores habuisse. Assiduus enim interfui scholis Perillustri *Boehmeri* in Pandectis et Iure canonico. Perill. *Pütterum* Ius publicum Imperii R. G. et principia Processus summorum Imperii Tribunalium tradentem audiui, eiusque exercitationibus Praxeos iuridicae interfui. Cel. *Meisterum* in Iure criminali Gen. *de Selchow* in Iure Germanico, et Exc. *Claprothium* in Processu ciuili, praeceptores habui. Praeter hos in doctrina Politices vsus sum doctissima institutione *Schloetzeri* in Archaeologia illustr. *Heynii*. Quod ad artem bene disputandi attinet exercitationibus interfui, quae ducibus ac moderatoribus Viris Perill. *Ayrero* et *Boehmero* habebantur. Frequentavi denique Collegium examinatorium a consultiss. *Hofackero* ad ipsius compendium Iurisprudentiae Romanae institutum. Studiis academicis ita peractis, debita obseruantia summos in vtroque iure honores petii, cui petitioni ita annuit Illustris Ictorum Ordo, vt non modo ad exami-



examina solennia admitterer, sed etiam hoc superato honores illi mihi decernerentur.

Decreuimus Praestantissimo Candidato honores cupitos, si quidem in his, quae in Confessu nostro praestanda sunt, eximios in iurisprudencia partes profectus ita nobis comprobauit, vt ex vnanimi Ordinis nostri sententia ad reliqua publice praestanda sit admissus. Fiet id futuro d. X. Iunii, quo habita lectione cursoria ad *L. 3. D. de Collat.* dissertationem inauguralem de *Subsidio Parentum Collationi obnoxio* absque Praefide defendet: quibus peractis meritos decretosque honores lubens ipsi conferam.

Proximus est

VIR PRAENOBILISSIMVS

IOANNES HENRICVS IOSEPHVS WESTHVS

MONASTERIENSIS

qui vitae studiorumque praeclare actorum rationes sequentem in modum recenset.

**N**atus sum Monasterii Patre *Francisco Clemente Westhus* ciue Monasteriensi, et *Matre Anna Gertrude Pötken*, qui in Religione Christiana Romano Catholica me educari curauerunt. Patrem veneror beatum, et iam per decem annos demortuum. Mater vidua me a primis incunabulis in Gymnasio monasteriensi Paulino principiis religionis simul, et quae ad humanitatem ducunt, imbui curauit, in quo speciatim lingua vernacula, latina, et graeca, in principiis metri, et arte eloquendi, praeterea in Elementis arithmetices instructus sum. Ibidem principia Logices, et Metaphysices, prima initia historiarum S. R. Imperii, et Pontificum cognoui, praeterea Geographiam, et Cosmographiam addidici. Recessi dein a Gymnasio iuridica percepturus, quem in finem Ill. *Krebs* domi principia iuris naturalis, et institutiones iuris  
roma-



Romani tradidit. Insuper addidici linguae gallicae principia, et alia, quae iuventutem decent, et ornant.

His praesidiis instructus transii ad Almam Georgiam Augustam, in qua doctores et duces nactus sum Viros illustres et celeberrimos, *Federum* in capessendis iuris naturalis principiis, *Becmannum* seniore in historia iuris vniuersi, *Pütterum* in historia S. R. Imperii, *Boehmerum* et *Becmannum* seniore in institutionibus iuris ciuili Romani, et in Digestis. In specialibus iurisprudentiae partibus capessendis operam dedi viris doctrina meritisque illustribus *Püttero* in iure publico et iure priuato principum, *Boehnero* in iure canonico et in iure feudali, *Riccio* in in iure feudali, *de Selchow* in iure Germanico et in iure priuato principum, *Becmanno* iuniori in libris terribilibus iuxta ordinem legalem diggestorum explicandis, et *Meistero* in principiis iuris criminalis. Porro et statisticam et principia politiae B. *Achemwall* et Ill. *Schlözer* mihi explanarunt, a quo pariter postarum origines percepi. Denique Theoriam processus et appellationum *Becmannus* senior, et *Pütterus* suo collegio practico omnia, quae praxin concernunt, nec non processus imperii, me edocuerunt. Quantum viris hisce illustribus et de me optime meritis debeam; sentio magis quam verbis exprimere possum, meque illis in dies deuinctissimum profiteor. Quod superest, academico studiorum cursu ita peracto, ab inclyto Iureconsultorum ordine summos in vtroque iure honores decenter petii.

Honestissimo desiderio eo lubentius annuimus, quo maiorem profectuum opinionem assiduo studiorum cultu sibi dudum parauit *Praenobilissimus Candidatus*. Itaque ad examen solenne admissus, enucleando iuris vtriusque textus et ad propositas quaestiones respondendo studia sua ita probauit, vt ei summi in vtroque iure honores vnanimi Ordinis nostri sententia sint decreti. Nihil superest, quam vt propediem *L. 6. C. de secund. nupt.* lectione cursoria interpretetur, et Dissertationem inauguralem de *origine communionis bonorum inter coniuges speciatim per dioecesim Monasteriensem* sine Praeside defendat: quibus rite peractis, conferendorum

C

rendorum



rendorum honorum sparta defungar. Ut autem publica ista do-  
 ctrinae specimina **MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,**  
**ILLVSTRISSIMI COMITES, CELEBERRIMI OMNIVM OR-**  
**DINVM PROFESSORES, HOSPITES, CIVES GENEROSIS-**  
**SIMI NOBILISSIMIQVE** honorifica praesentia sua condecora-  
 re haud dedignentur, collegii nostri nomine officiosissime rogo,  
 P. P. Gottingae a. d. ix. Iul. clc|ccclxxiii.



Honestissimo desiderio eo lubentius annuimus, quo maiore  
 rem profectum epimorem studio studiorum cultu tibi dudum  
 praeiit. Praeclarissimum Comitem. Inque ad eximiam solerem  
 scholarum, erudendo iura vniuersae totae et ad praecipuas disci-  
 plinas respondendo studia sua se praebuit, ut et summa in vniuersis  
 iure honore vniuersi Ordinis nostri sententia sint decretum. Et  
 huiusmodi, quam ut propediem A. D. de festo. iure festo.  
 no cunctis iustitiam, et Dissertationem inauguralem de corpore  
 et ratione sui locum in iure iuris, et iuris per hunc in hunc  
 Aeternam sine Praelato delenda: cuiusmodi veritas, coram  
 tendorum

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!


SLUB DRESDEN



3 0507193

7 A 2395

